

3/97

IDIBVS OCTOBRIBVS  
MCMXCVII

VARIVS  
R MOR VARIVS I  
VMOR VARIVS I  
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS  
R MOR VARIVS  
A IDIBVS

TOMVS 20

FASC. 119



# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Forsitan nonnulli vestrum curiosi et scribendi cupiditate capti iam expectent et secum deliberent, quod argumentum principale hoc anno libelli 5+6/97 RUMORIS VARII futurum sit.

Non dubitamus enim, quin bene recordemini: Anno 1994° primum uni argumento libellum 5+6 dedicaveramus: 'De mulierum servitute aut libertate variis aetatibus' tum actum erat; anno proximo 1995° de 'Circumiectionum tutela vel de natura a hominibus maxime in periculum adducta' legere potueratis; anno 1996° denique 'Nuntii ex mundo pelliculae' vos - ut speramus - delectaverunt.

Quid erit ergo argumentum huius anni? Non diutius vos animis suspensis esse patiamur: Hoc anno argumentum, de quo sine dubio varia et multa scribi poterunt, vobis proponimus, cari legentes: **'De arte medicina'**. De medicina antiqua vel sequentium saeculorum vel nostrae aetatis; de herbis medicatis; de instrumentis, quibus medici utebantur vel quae nova invenerunt, ut melius morbis vel vulneribus hominum mederi possint; de medicamentis; de pharmacopoeis et pharmacologia; de pharmacopolis; de rationibus curandi et sanandi; de vicis recreationis et locis auris mitibus vel fontibus salubribus claris; de morbis priorum saeculorum vel nostrae aetatis et de eorum impugnantorum rationibus contentionibusque; de morbis et victis et illis, contra quos adhuc medici et investigatores pugnant; de medicis et investigatoribus celeberrimis; de rationibus investigatorum; de scientiis medicinis; de scientiarum progressibus; de rebus ethicis velut quaestionibus, num hominibus omnia revera perficere liceat, quae perfici possint, num - exempli gratia - fas sit gena humana a hominibus commutari, quae res nostra aetate valde ambigue disputatur, num fas sit homines clonizando multiplicare, res, quae post ovem clonizatam non omnino non fieri posse videtur, etiamsi -deis sit gratia! - multo difficilius esse videatur homines clonizare quam oves.

Cognoscitis, cari legentes, vos de eo argumento, si placeat, talia vel alia multa et varia scribere posse. Scribatis ergo petimus rogamusque quam

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSIS, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:  
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.phil. Emanuel Bernard  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:  
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS  
c/o aeschlimann publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

frequentissimi; ne dubitaveritis opera vestra nobis mittere, ut in libello 5+6/97 etiam hoc anno scripta vestra divulgare possimus!

Maximas gratias iam hodie vobis agimus et semper agemus; sine dubio ceteros quoque lectores, qui opera vestra legent, symbolas componentes maxime delectabitis!

Valete!



Daniel Weissmann



### Proverbia Hispanica

*Flores contentan, pero no alimentan.*

Flores gaudium afferunt, sed non alunt.

\*

*Riñas de enamorados, amores doblados.*

Rixae amantium, amores duplicati.

\*

*El mentir pide memoria.*

Ad mentiendum bona memoria opus est.

\*

*No creas al que de la feria viene, sino al que vuelve a ella.*

Noli ei credere, qui a festo venit, sed ei, qui ad illud revertitur.

\*

*La mentira general pasa por verdad.*

Commune mendacium veritas putatur.

\*

*No hay peor ciego que el que no quiere ver.*

Ille est pessimus caecus, qui videre non vult.

\*

*Para ser tonto los libros son estorbo.*

Stultus ut aliquis sit, libri impedimenta sunt.

\*

*El gozo comunicado crece.*

Communicatum gaudium crescit.

\*

*Larga ausencia causa olvido.*

Absentia diuturna oblivionem efficit.

\*\*\*\*\*

Ille, qui non dubitat, non quicquam scit.

\*

*El mejor maestro es el tiempo y la mejor maestra la experiencia.*

Optimus magister tempus est, optima magistra experientia.

\*

*El que en mentira es cogido, cuando dice verdad no es creído.*

Illi, qui in mentiendo deprehensus est, fidem non iam habetur, etiamsi vera loquatur.

\*

*Es mala señal cuando no se siente el mal.*

Est malum signum, cum malum non sentitur.

\*

*No hay mejor espejo que el amigo viejo.*

Nullum speculum melius est quam vetus amicus.

\*

*Amor, dinero y cuidado no puede estar encerrado.*  
Amor, pecunia cura que dissimulari non possunt.

\*\*\*\*\*

*Sólo el sabio es rico, y valiente el sufrido.*  
Solus sapiens dives est, et fortis patiens.

\*

*Amores nuevos olvidan los viejos.*  
Amores novi veterum obliviscuntur.

\*

*El buen saber es callar hasta ser tiempo de hablar.*  
Bene sapere est tacere, quoad sit tempus loquendi.

\*

*Loco es el hombre que sus prisiones ama, aunque sean de oro y plata.*  
Insanus est homo, qui carcerem suum amat, etiamsi in auro et argento consistit.

\*

*Nunca acostarás sin saber una cosa más.*  
Numquam cubitum ibis non quicquam novi sciens.

\*

*Vanse los amores y quedan los dolores.*  
Evanescent amores, manent dolores.

\*\*\*\*\*

*Agua pasada no muele molino.*  
Aqua praeterita molam non movet.

\*

*Ninguno nace enseñado.*  
Nemo eruditus nascitur.


\*

*Si no tienes dinero en la bolsa, ten miel en la boca!*  
Nisi pecunia in sacculo tibi est, sit tibi mel in bucca!

\*

*Amigo de muchos, amigo de ninguno.*  
Amicus multorum, amicus nullius.

In Latinum vertit Daniel Weissmann



### De filiabus Theodosii imperatoris



Theodosio (1) imperatori tres filiae pulcherrimae erant. Quodam die imperator filiam maiorem natu interrogavit: "Quantum me diligis?" Et filia: "Plus quam me ipsam te diligo." Tum pater felix: "Te divitiis magnis donabo", et filiam regi ditissimo uxorem dedit. Deinde filiam alteram interrogavit, et filia illa respondit: "Te diligo tantum, quantum me ipsam diligo." Et pater responso contentus filiam duci auctoritate valenti uxorem dedit. Postremo filiam tertiam de eadem re interrogavit, et illa: "Te diligo tantum, quanti es."

Pater iratus filiam comiti cuidam uxorem dedit. Paulo post Theodosius cum Aegyptiis bellum gerens devictus et regno expulsus est. Celeriter litteras anulo suo signatas filiae natu maiori misit. Petivit ab ea, ut patri misero succurreret. Filia autem: "Id fieri non potest

sine maximis impensis. Auxilium tibi mittere non possum. Sed tibi in exilium eunti quinque milites, corporis custodes, dabo." Theodosius magno dolore affectus ad filiam secundam se vertit. Quae autem marito suasit, ne ullum exercitum patri deferat. "Ei victum vestitumque dabimus", inquit, "quamdiu vivet."

Theodosius magna spe deceptus filiae tertiae scripsit, ut sibi auxilio veniret. Et filia illa misericordia mota: "Pater meus quam celerrime adiuvandus est, nam in magno discrimine est." Et comes, maritus eius, exercitu magno collecto hostes devicit et Theodosium in regnum reduxit. Qui: "Filiam tertiam", inquit, "neglexi. Tamen mihi succurrit. Me mortuo illa imperium universum accipiet."

Nonne fabula illa animos vestros ad memoriam sortis regis nomine 'Lear' revocat?

- 1) Theodosius in oppido Hispaniensi nomine Canca natus est. Quarto p. Chr. n. saeculo vitam egit, Gotones Moesiacos devicit. Cum Christianis fervens esset, multa templa deleri iussit. Erat imperator ultimus, qui imperium Romanum indivisum in potestate habebat.

(Secundum gesta Romanorum)

Barbara Maier



## Facete lepideque dicta


### Verba Dei

Jonathan Swift orationem sacram componens laborabat. Filiola patrem observans interrogavit: "Nonne mihi narravisti Deum tibi dicere, quae scribenda tibi essent?" - "Certe, mea filia." Tum puella: "Sed, cur tot scripta iterum iterumque deles?"

Daniel Weissmann

## De pedum tegimentis

Iam in picturis muralibus cavernarum Hispaniae pedum tegimenta oculis nostris proponuntur. Venatores enim pedes pellibus circumligabant. Solum siccum Aegypti permultas soleas stramineas vel foliis palmeis factas conservavit. Solea autem signum potestatis erat. Initio apud Aegyptios



mos pedes soleis tegendi modo deis et principibus conveniebat. Postea mos ille omnibus Aegyptiis lege permittebatur. Antiquissimis temporibus in Graecia quoque reges vel principes soli pedes soleis induere poterant. Heroibus Homeri soleae magnifice ornatae erant. Hermes, deorum nuntius, secundum Praxitelem sculptorem, soleis alatis utebatur. Postea et mulieres et senes tegimentum molle modo Persico pedem totum continens soleis anteferebant. Et viatores et venatores caligis utebantur. Romani pedum tegimenta Graecorum adhibebant. Sed usus solearum constitutus erat. Hadriano imperatore Romanos ordinis senatorii soleis indutos domo exire non licebat. Nam non solum toga, sed etiam calceus auctoritatis signum civis Romani erat. Calcei lorei magnifice ornati saepe



in patriciorum status videri possunt. Aurelianus imperator vero tertio p.Chr.n. saeculo vetuit viros calceis coloribus variis ornatis uti. Feminis autem permissum erat, ut pedum tegimentis margaritis, auro, argento ornatis uterentur. Ex quarto p.Chr.n. saeculo primo Byzantii, deinde Romae crepida e corico nigro vel fusco nonnumquam purpureo facta magni aestimabatur.

Barbara Maier



## SOLUTIONES

Ecce solutio aenigmatis libelli 2/97:

1	A	N	N	A	M
2	N	A	U	L	A
3	N	U	M	E	N
4	A	L	E	R	E
5	M	A	N	E	S

1. soror Didonis (Acc.)
2. pecuniae, quae Charonti vel collegis eius solvendae sunt (Nom. pl.)
3. voluntas divina
4. nutrire
5. animae mortuorum

Daniel Weissmann



## Infamatio mei, excusatio tua

Examen (1) subiturus intuetur  
 iratus tremebunda membra Marcus.  
 Laudari velit, at minus frequenter  
 vacavit studio, iocis retentus.  
 Hortor discipulum meum, ut magistris  
 externis specimen det altioris  
 doctrinae et sapidae dicacitatis.  
 De Graecorum elegis loqui iubetur  
 quidquid comperit: ipse ago repente  
 Dis grates tacitas, quod illa vero  
 argumenta puto tenere mente  
 praestanter iuvenem bene explicata.  
 "Hos tantum tetigit quidem poetas  
 praeceptor brevioris mentione,  
 illos esse negans honore dignos."  
 Exactor peregrinus exsecratur  
 pravam desidiam scholasticorum,  
 a quibus male neglegantur illi  
 clari Battiadae libri et Philetiae.  
 Marci me comites rogant, ut istum  
 mendacem nebulonem abire cogam  
 suffusum merito genas rubore.  
 Paulisper meditatus, id repello  
 iustum consilium et silere malo.  
 Defixis oculis in illum alumnum,  
 plenus maestitiae scholam relinquo.

- 1) De illo agitur maturitatis experimento, in quo quinque externis studiorum exactoribus unus adiungitur, vel potius opponitur, internus professor.

(metrum Phalaecium)

Orestes Carbonero

# Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **KALENDIS NOVEMBRI**BVS EST! SOLVTIONES IN VNO LIBELLORVM SEQVENTIVM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT:      primum praemium                      LIBER  
                              secundum et tertium praemium      LIBELLVS


## ad libram

- 1 vir et uxor
- 7 coniunctio Latina
- 8 sed
- 9 pronomen personale
- 10 in aqua vivit et natat
- 11 duo
- 12 praepositio, quae ante oppidorum nomina ponenda non est
- 13 atque
- 14 quingenti
- 15 ex ea re
- 16 meaverim
- 18 Gaius Publicus (breviter)
- 19 Ill
- 20 vadite
- 21 ...longa, vita brevis
- 22 deus et amabilis et crudelis
- 23 pronomen personale (abl.)
- 24 quadringenti

- 25 bene de re publica mere... potest
- 26 quamquam
- 27 negotium

## ad perpendiculum

- 1 motus abstinentiae contrarius (abl.)
- 2 post laborem iucundum est (gen.)
- 3 iaculamini
- 4 coniunctio Latina
- 5 atque
- 6 coeperis
- 13 is qui impellit (abl.)
- 15 vades
- 17 ut fallatur
- 20 nongenti nonaginta novem
- 22 praepositio Latina
- 24 move



Barbara Maier

## ARANEA NIGRA

fabula a Ieremia Gotthelf poeta Helvetico scripta

(Die Schwarze Spinne, ed. a. 1842)

### Pars altera:

Tum factum est, ut iterum aliqua mulier esset paritura. Nunc non magnus fuit timor, homines fuerunt hilares; cum primum recto tempore sacerdoti providerunt, opinati sunt a se ludibrio haberi posse virum viridem. At Christina aliter sensit. Quo propius appropinquabat dies natalis, eo horribilius gena urebatur, eo fortius punctum nigrum augebatur, e quo insigniter extensi sunt pedes, exacti sunt breves capilli, in cuius dorso apparuerunt nitida punctula virgulaeque, cuius gibbus factus est caput, e quo quasi vero coruscaverunt duo oculi truces et nitidi. Omnes clamorem tollebant, quondocumque conspexerant trucem araneam diadematam faciei Christinae insitam, pavore et formidine completi fugiebant, cum vidissent araneam faciei insidentem ex eadem excrevisse. Homines autem varia loquebantur, alii alia suadebant, sed nemo invidebat Christinae, quidquid id erat, et omnes eam evitabant et fugiebant, ubicumque poterant. Quo magis homines fugiebant, eo magis Christina instigabatur, ut eos insequeretur, ostiatim vehebatur; sensit quidem se a diabolo moneri infantis devoti; ut ore libero hominibus persuaderet, ut offerrent, eos persequeretur infernali angore affecta. Sed ceteri hoc parum curabant; quibus Christina torquebatur, illi non dolebant; putaverunt eam propria culpa sibi contraxisse ea, quae pateretur, et, si Christinam non iam evitarant, ei dicebant: "En hoc cura tu ipsa! Nemo infantem devovit, itaque nemo aliquem dabit." Christina autem verbis iracundis invehebatur in maritum proprium. Qui ita fugiebat ut ceteri, et si fugere non iam poterat, lento pectore Christinam alloquebatur hoc certe sanatum iri, hanc esse notam, quales multi haberent homines; quae si excrevisset, dolorem finitum iri, eandem facile posse vinculo astringi.

At interea dolor non finitus est, omnis pes araneae urebat tamquam ignis infernalis; araneae corpus Christinae videbatur ipsum infernum, et cum illius mulieris hora adveniret, Christina sibi videbatur mari igneo circum-

vallari, quasi medulla cultris igneis perfoderetur, cerebrum perstringeretur igneis turbinibus. At aranea intumescebat, se arrectam tollebat, inter saetas breves protuberabant oculi truces. Christina dolore ferventissimo affecta cum animadvertisset neminem sui misereri, parituram bene custodiri, rabidae similis ingruit in viam, qua sacerdotem venturum esse scivit. Idem rapido gradu praeter declivia properabat comitante sacrista valido; sole ardente viaque ardua non inhibitus est, ne progrediretur; nam agebatur de anima servanda, de avertendo malo infinito, ut ab aegroto quodam remoto veniens sacerdos sollicitaretur, num nimium cessavisset. Christina desperans ei viam praeclusit, genua eius circumplexa rogavit, ut e gehenna redimeretur, ut infans concederetur vitae nondum particeps, et aranea etiam altius intumuit, terribili nigredine coruscans surrexit in facie Christinae rubore suffusa, torpidis oculis atrocibus spectavit ad sacerdotis sacra signa instrumentaque. Is autem Christina celeriter semota se signavit signo sacro; vidit quidem adversarium, sed destitit a pugna, ut servaret animam. Christina autem prosiluit, rapide eum secuta extrema tentabat; sed furibunda sacristae brachio valido prohibita est, ne remoreretur sacerdotem, qui tempore posset domum tutari et accipere infantem manibus benedictis, ut imponeret manibus illius ab inferno numquam superabilis.

Foris Christina interea pugnaverat pugnam terribilem. Enitebatur in manum accipere infantem non baptizatum, in domum introgredi, sed impedita est a viris fortibus. Venti domum impulsabant, fulgura lurida circa eam coruscabant, sed manus Domini erat super eam; infans baptizatus est, Christina inops atque frustrata domum circumcursabat. Tormento infernali magis magisque saeviente, sonos edebat humanis non similes, ut boves in stabulis tremere restes suas abripietes, ut quercus silvestres streperent inhorrescentes.

Domi autem coeperunt iubilare de nova victoria parta, de viri viridis inopia, de eius subadiuvae irrita luctatione; sed foris Christina iacebat horribili dolore prostrata et facie parturibat cum tantis doloribus, quantos in terris nulla umquam puerpura erat experta, dum aranea in facie etiam atque etiam altius intumescebat, semper semperque fervidius ossa Christinae perurebat.

Tum Christinae visa est facies subito disruppi, nasci in eadem carbones fervidi, vivere, currere super faciem prurientem, super omnia membra, quasi vero in facie omnia viverent et ferventia currerent super totum



corpus pruriens. Tum conspexit in fulguris lumine lurido atroces, longipedes, innumeras, nigras araneolas super membra excurrentes in tenebras nocturnas; et eas, quae evasere, secutae sunt atroces, longipedes, innumerae. Denique Christina non iam vidit ullas sequi, facies eius desiit ardere, aranea decubuit, denuo facta est punctum fere invisibile, oculis emorientibus persecuta est prolem suam infernalem a se partam et emissam, ut monstraret, quomodo vir viridis ludibrio haberi posset.

Christina defessa, puerpurae similis, furtim domum se subduxit; quamvis ardores faciei non iam tam fervide urerent quam antea, ardores animi non erant minuti, quamvis membra defessa quietem desiderarent, vir viridis eam quiescere non iam passus est; qui, quemcumque corripuit, ita enim vexat.

Domi autem iubilaverunt et gavisii sunt diu non audientes boves in stabulo mugientes et furentes. Tandem tamen prosiluerunt, exierunt visum, terrore pallidi reverterunt egressi et nuntiaverunt vaccam pulcherrimam prostratam esse mortuam, ceteras furere et saevire more numquam viso. Ibi aliquid immane, aliquid monstruosum dominari. Tum iubilatio obmutuit, omnes secuti sunt boves, quorum mugitus sonabat per montes et valles, sed nemo scivit aliquid suadere. Tentatae sunt artes profanae et sacrae ad magiam arcendam, sed omnes frustra; priusquam dilucuit, omnes boves in stabulo morte prostrati sunt. Ut hinc obmutuerunt, ita hic et illic alii coeperunt mugire; qui adfuerunt, audiverunt calamitatem in stabula sua ingruisse, se magistros in auxilium vocari a dolorosis bobus formidine correptis.

Domum tam rapide se proripuerunt, quasi flammae exigerentur e tectis suis; sed auxilium tulerunt nullum; ubique boves morte prostrati sunt, flebili ululatu completi sunt montes vallesque, et sol, cum vallem perquam laetus reliquisset, nunc inspexit miseriam horribilem. Sole splendente homines denique viderunt in stabulis, ubi boves ceciderant, borrire innumeras araneas nigras. Quae super boves et pabula repentes quidcumque tetigerant, veneno erat imbutum, quidcumque erat vivum, coepit furere, brevi post morte prostratum est. Ab his araneis nullum stabulum, cui inerant, poterat purgari, quasi vero e pavimento crescerent, nullum stabulum, cui nondum inerant, poterat custodiri, improviso erepebant ex omnibus parietibus, acervatim de lacunari cadebant. Acti sunt boves in pascua: acti sunt in fauces mortis. Nam, ubi primum aliqua vacca pedem pascuis imposuit, humus vivebat, nigrae, longipedes araneae pullu-

lascebant, quasi terribiles flores Alpini, inrepebant boves, ut sonarent clamores horribiliter flebiles de montibus deorsum in valles. Hae autem araneae omnes illius Christinae faciei insidentis tam similes erant quam filiae matris; quales numquam visae erant.

Clamores miserarum bestiarum usque ad castellum perlati sunt, postea pastores nuntiaverunt boves suos cecidisse bestiis venenosis; praeterea eques de Stoffeln magis magisque bilem movens audivit, quomodo boves perditii essent gregatim, audivit, qualis pactio contracta esset cum viro viridi, quomodo ille bis fraudatus esset, audivit araneas illi araneae, quae inesset faciei mulieris Lindaviensis (Lindauerin), a qua sola foedus pactum esset cum viro viridi neque umquam recte explicatum, tam similes esse quam filias matri. Tum eques de Stoffeln acri ira incensus, postquam de monte equitavit, miseros increpuit voce tonanti se nolle perdere eorum causa boves gregatim; damna, quae cepisset, esse ab iis resarcienda et quae promisissent, iisdem esse standum, quae sua sponte fecissent, haec eis ferenda essent. Se nolle detrimenta capere eorum causa, si cepisset, iis sui causa sescenties poenam fore luendam. Ut idem caverent.

Sic eos allocutus est, minime curans, quantum iis imponeret; neque equiti succurrit eos a se ipso coactos esse, ut illa facerent, sed facta iis assignavit.

Plerisque iam suboluerat araneas esse molestias a malo effectas, quibus monerentur, ut pactum servarent, necessarioque Christinam plura scire de hac re, eam non omnia sibi dixisse, quae egisset cum viro viridi. Nunc iterum virum viridum tremebant, non iam irridebant, tremebant dominum suum mundanum; si iis satisfacissent, quid dicturum dominum sacrum, num permissurum, num nullam poenam de se capturum esse? Sic sollicitati agricolae auctoritate praecellentes congregati sunt in horreum desertum; Christinae autem veniendum fuit, ut clare panderet, quaenam egisset.

Venit Christina, efferata, ulciscendi cupida; nam denuo torquebatur ab aranea crescente.

Cum vidisset adesse viros paventes, mulieres deesse, statim narravit, quae sibi facta essent: quomodo vir viridis celeriter postulasset, ut ipsa fidem exsolveret sibi osculum pignori dedisse, quod se non maioris aestimasset quam alia; quomodo sibi postea ex eodem loco aranea excrevisset infernali cum dolore ex eo momento temporis, quo primus infans baptizatus esset; quomodo ab aranea, modo cum secundo infante baptizando


illusus esset vir viridis, se tormenta infernalīa patientē partas esse araneas innumerabiles; nam se sescentos dolores mortiferos passam sentire virum viridem non impune posse illudi. Nunc araneam recrescere, dolorem augeri, neminemque scire, quam atrox foret calamitas ingruens, quam atrox ultio equitis, nisi proximus infans addictus esset viro viridi.

Sic Christina narravit, ut corda virorum tremere et diu nullus eorum loqueretur. Paulatim et gradatim e gutturibus angore compressis soni edebantur abrupti, quos, si composuisses, eadem significare animadvertisses ac sententiam Christinae; sed nullus ex iis Christinae consilio singularis assensus est. Tum aliquis surrexit dicturus optimum sibi videri Christinam occisum iri, nam ea si occisa esset, virum viridum in eius morte acquiescere posse neque iam vivorum potentem fore. Tum Christina feroci cachinno sublato ad illum aggressa dixit: ut caederet, hoc sibi placere, sed a viro viridi non postulari se, sed infantem non baptizatum, et ut ab eodem notatam esse se, ita alios haud minus posse notari, qui sibi vim allaturi essent. Tum vir solus locutus manu micante consedit consilia aliorum tacite audiens.

Colloquio autem ibi interrupto, ubi nemo omnia dixit, sed omnis aliquid, quod parum valuit, convenit inter eos, ut proximus infans offerretur, sed nemo voluit hoc sua manu facere, nemo infantem portare ad acclivitatem ecclesiasticam, ubi fagi erant depositae. Nemo eorum verecundatus erat adhibere diabolum ad communem salutem, ut opinati sunt, sed nemo cupivit eiusdem faciem cognoscere. Tum Christina dixit se esse paratam ad hoc faciendum, nam si quis quid cum diabolo egisset, iterum agendo vix plus detrimenti caperet. Sciverunt quidem, quae mulier proximum infantem esset paritura, sed nihil de eo sunt locuti, patre absente. Postquam et verbis et sine verbis inter se communicaverunt, discesserunt.

Nicolaus Gross

(Narrationis pars tertia in proximo libello sequetur!)



## Nuntii miri e scientiis

### De nudis servis subterraneis a regina subiectis

In *Rodentium* animalium ordinem zoologicum referuntur bestiae bene notae. Quarum aliae hominibus exosae esse solent, velut mures et ratti et criceti (1), qui iisdem detrimenta inferunt calamitosa; aliae, velut sciuri, caviae, criceti aurati, propter pellem mollissimam et formam lepidam et agilitatem mirabilem in deliciis sunt. Sed de utilitate et inutilitate, de formositate et foeditate, de indulgentia et aversione cum homines nequaquam inter se consentire soleant, etiam varie iudicatur de talibus animalibus rodentibus: Sic sciuri ab hominibus per silvas et viridaria ambulantes blandissima cum indulgentia cibantur, sed periti saltuarii sciunt, quam crudeliter eadem bestiolae diripiant nidos avium. Cuniculi a parvulis solent mulceri summa cum caritate; sed quibusdam in regionibus ab iisdem animalibus fecundissimis et voracissimis ingentia damna inferuntur. Aspectu musculi ipsius timidissimi quaedam mulieres tanto terrore corripiuntur, ut proximam mensam ascendant et edant stridulam quiritationem perterricrepam (qua de causa, nescio; fortasse bonus ille Sigmundus animae humanae perscrutator aliquo loco explicavit). Ex altera parte mures, praesertim albi coloris, in caveis coluntur delectationis causa. Quid dicam de rattorum genere pestifero, quod iusto timetur propter suam voracitatem et sagacitatem horrendamque fecunditatem? Tamen homines ipsis e rattis etiam magnam utilitatem percipiunt experimentis pharmaceuticis factis. Ne dicam de ineptiola quorundam adulescentium gregi Pancianorum addictorum, qui sine ulla aversione rattos colunt in saccis amiculorum bracarumque propriis.

Contra ac bestiae supra memoratae rosor, quem nunc sumus adumbraturi, neque utilitate neque formositate animos allicit hominum, immo, aspectu tam foedus est, ut etiam viri viraginesque cordatae atque obduratae taedio corripiantur. Itaque feliciter accidit, ut hoc mostellum (2) nomine *Heterocephalus glaber* (3) sequatur illud Epicureum λάθε βιώσας; vivit enim in cavernis zavanae Africae orientalis subterraneis (4). At nuper biologi fortissimi vita huius rosoris gorgonei investigata invenerunt *Heterocephalos glabros* subiectos esse stupendo ordini monarchico civitati apium aut formicarum quadamtenus simili, a regina tyrannica ad

strictam laborum divisionem coactos ita, ut alii fodiant specus subterraneos multa chiliometra longos, alii eosdem vigilant et defendant contra hostes velut serpentes, alii nihil faciant nisi fungantur munere Veneris, i.e. insudent explendae vehementi libidini reginae, quae gaudet polyandria (5). Homines autem vere humani, quales sunt lectores RUMORIS VARII, cum iis innatum sit illud desiderium scientiae, quod apud philosophum Stagiritam (6) legitur generaliter humanum esse, minus repelluntur *Heterocephalorum glabrorum* deformitate quam attrahuntur cognoscendo eorundem ordine politico.

*Heterocephali glabri* sunt murum fere magnitudine, nudi, paene caeci, cute rosacea tam vieta et flaccida et rugosa, ut quodammodo similes sint membris virilibus, immo ab investigatoribus iocosis appellantur 'penes pedati'. Vivunt in longis specubus subterraneis, quos fodiant ad inveniendas radices et bulbos, quibus vescuntur. Interdum ab iisdem fodiuntur retia specuum, quae complectuntur aream denorum camporum pedifolii. Colonia *Heterocephalorum* constat maximum trecentis bestiis, quae specialibus muneribus fungentes reguntur a regina vel dictatrice. Divisio munerum his demum annis diligenter perquisita est a Jennifer Jarvis ethologa Africae meridionalis et Paulo Sherman collega eiusdem Americano.

Fortunam ceteris iucundiores videntur nacti esse ii duo vel tres mares robusti, qui a regina electi sunt coniugales. Eorum est reginam inire unicam coloniae feminam fertilem. Quae omni anno parit sexaginta fere catulos. Sed mares liberis operam dantes valde debilitantur; laboriosa est venus *Heterocephalorum*. Itaque hi mares vacant a laboribus fodiendi.

Militum vita minus iucunda: si serpentes in specus invaserunt, ab illis sunt heroica cum fortitudine arcendae, usque dum socii fossores foramen cavernae concludant. Quo fit, ut complures milites a serpente devorentur. Sed exceptis talibus proeliis, milites plerumque dormitant, ut corpora recreent ad proximam pugnam faciendam.

Ceterorum omnium, i.e. fossorum, vita durissima: iisdem continuo vehementissime laborandum est. Iam catulis duo menses natis mandantur opera, quamvis leviora: Purganda iis sunt cubilia, praesertim anguli latrinarii, in quibus alvus exoneratur, et specus sunt a lapidibus liberandi. Ubi primum adulti sunt, coguntur ad specus fodiendos. Foditur semper grege ordinato. Bestia anterior magnis suis dentibus incisoriis, quibus etiam calcestrum (7) perforari potest, dura frusta terrena effringit e pariete. Be-

stiae eidem postpositae quasi viva taenia continua auferunt grumos accumulatos.

Sed fossores *Heterocephali* natura pigerrimi non laborant nisi coacti et custoditi a regina severissima. Itaque putantur sine regina tempore siccitatis fame perituri fuisse. Ut incitet sibi subditos ad labores exanclandos, regina saepe peragrat regnum suum tenebrosus. Fossor, qui non sedule fodit, a regina vituperatur vel punitur grunniendo et propulsando et mordendo. Quo fit, ut animus fossoris mirum in modum refocilletur.

Regina semper sollicitatur, ne feminae coloniae suae fiant fertiles eoque rivales amatoriae. Itaque saepe olfacit urinam feminarum, ut sentiat, quanta insit copia hormontis oestrogeni. Si quae femina incipit catulire, a regina tam violenter affligitur, ut statim desinat lascivire in venerem.

In laboratorio experimentis apparuit, cum duodecim annis post regina *Heterocephalorum* mortua esset, ceteras feminas mox catulire. Christophorus Faulkes ethologus Britannus regina e cubili plastico ablata observavit ceteras feminas subito fieri ponderosiores, earum mammas augeri, animos fieri tam iracundos, ut quasi Furiae dentibus acerrimis una in aliam inveheretur et complures interirent. Per multos menses factum esse hoc bellum saevissimum ad successionem imperii confirmandam. Tum populum a nova regina in potestatem redactum esse.

Colonia *Heterocephalorum* non solum dominatione reginae et divisione laboris stricta similes sunt civitatibus apium et formicarum, sed etiam separatione: *Heterocephali* cuiusvis coloniae alienae non recipiuntur, sed fugantur; ergo solent progenerari selectione consanguinea (8). Quomodo societates tam separatae per longum tempus superstites esse possunt sine variatione genetica, quae fieret, si regina fecundaretur a maribus aliarum coloniarum? Hanc quaestionem biologi diu muginati erant. Nuper hoc aenigma est solutum a Iustino O'Rian, ethologo Africae meridionalis (9). Qui imposuit *Heterocephalos* captos cubilibus artificialibus vitro plexico constructis. Tum animadvertit quosdam mares conari e colonia aufugere. Iidem, quandocumque congregati erant cum feminis coloniae propriae et feminis coloniae alienae, semper studebant copulari cum feminis alienis, non consanguineis. Iustinus O'Rian ex experimentis concludit tales mares segreges et extraordinarios esse quasi vagabundos colonos, qui aut clam se irrepant alienis colonis aut cum aliis vagabundis novam coloniam condant (in Anglico textu originali dicuntur *dispersers*, quia dispergunt



notas geneticas coloniae suae originalis). Ad faciendum iter laboriosum hos mares multa devorare, ut pinguescant.

Haec hactenus de *Heterocephalis glabris*, quorum mores Plinius maior et Conradus Gesnerus et Alfredus Edmundus Brehm, nisi ignorassent, certe descripsissent lepidissima ethologia anthropomorpha.

Nikolaus Gross  
Germanus Coreanensis

- 1) cricetus,-i: Hamster
- 2) mostellum,-i n. est deminutivum monstri. Confinxi secundum Mostellariam titulum comoediae Plautinae.
- 3) cfr. 'Knaurs Tierreich in Farben, Säugetiere'. Deutscher Bücherbund Stuttgart/Hamburg/München 1978/79, p. 106: Heterocephali spectant ad familiam *Bathyergidarum*.
- 4) Ea, quae sequuntur de vita Heterocephalorum, fusius referuntur in libro, cui titulus: *The Biology of the Naked Mole-Rat*. Qui liber scriptus est a P.W. Sherman, J.U. Jarvis, A.D. Alexander, editus a. 1991 in Universitatis Princeton domo editoria (Princeton University Press) in re publica Americana New Jersey.
- 5) polyandria,-ae f: Una femina cum pluribus maribus convivit.
- 6) Philosophus Stagiritis: Aristoteles, qui Stagiris ortus est (384-322 a.Chr.n.)
- 7) calcestrum,-i n.: Beton
- 8) cfr. Günther Haensch/Gisela Haberkamp de Anton, Wörterbuch der Biologie, München (BLV) 1976, p.152 sq.: "4589. inbreeding, close inbreeding - Inzucht, Verwandtschaftszucht - selection consanguine, consanguinité, croisement consanguin - cruzamiento consanguineo, consanguinidad."
- 9) cfr. periodicum cui titulus "Nature", vol 380, 18. April 1996, p. 619-621 ("A dispersive morph in the naked mole-rat"). Auctores: M. Justin O'Rian, Jennifer U.M. Jarvis, Chris G. Faulkes.



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIIVS für mich selber)

Hier bitte  
frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----  
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIIVS  
c/o aeschlimann  
publicity  
Stadthausstrasse 65  
CH-8400 Winterthur

Ort, Datum: \_\_\_\_\_


Unterschrift: \_\_\_\_\_

RVMOR VARIIVS  
c/o D. Weissmann  
Tellstrasse 30  
3014 Bern



IDIBVS OCTOBRIBVS  
MCMXCVII

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!



Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

RVMOR VARIVS

